





46

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
**GEORGIVS RVDOLPHVS**  
**BOEHMER**

PHIL. ET MED. DOCTOR ANAT. ET BOTAN.  
PROFESSOR PVBL. ORDINAR. PHYSIC. PROVINC.  
SOCIET. OECON. LIPS. SQDALIS

ORATIONEM

AB

**IOANNE GODOFREDO SCHVBERTO**

AA. M. ET SS. LITT. CVLTORE  
IPSO DIE MEMORIAE EMENDATORVM SACRORVM

CIDICCLXXIX

BENEFICI WEYRAUCHIANI CAVSSA  
IN AUDITORIO MAIORE

PROCVRATIS SACRIS MATVTINIS

HABENDAM

**CIVIBVS ACADEMICIS**

COMMENDAT

47

WEYRAVCHI  
RENOVATA MEMORIA

**Q**uem ad modum religio patrum maiorumque, ac morum grauitas, quotidie minuitur, sic liberalitas in sacra non minus, quam literas, magis magisque conseruans. Quid fieret templis, scholis, academiis, nisi prisa uirtus consuluisse in posterum, ac, relictis opibus, incolumentem rerum, publice priuatimque saluberrimarum, seruasset. Nunc beneficia noua non facile expectamus, contenti, superiora munera ab interitu vindicasse. namque uoluptates abundantes perinde, atque auaritia, benignitatis fontem claudunt, ne diffundatur longius, ac tandem penitus exarescat. Temperare igitur nobis non possumus, quo minus Plinii querelam, qua aetatis suae tenacitatem castigat, repetamus. *rarum est etiam imperfectae liberalitatis exemplar. ea inuasit homines habendi cupido, ut possideri magis, quam possidere, uideantur (IX. ep. 30).* Quo maiorem merito suo laudem illi deportant, qui diuitias, parsimonia collectas, in commune conferunt, ac iuuenes praesertim, literis deditos, post mortem ituant, quo celerius, quem fibi proposuerunt, cursum conficiant. ingenia enim, uel praestantissima, franguntur ac debilitantur, si, egestate pressa, uix, unde uiuant, reperiunt, saltē necessariis destituta praefidiis, fastigium doctrinae non implet. Quorum qui igniculos liberalibus donis

nis incendunt, nae, ii tanta reipublicae commoda afferunt,  
quantam gloriam a grata posteritate iure posseunt. Ex hoc  
fuit numero IVSTINVS WEVRAVCHIVS, legataque  
pecunia sanxit, ut, die emendationis sacrorum, publica ora-  
tione quotannis hoc immortale opus celebretur, dignissimus,  
cuius, ante hos quinquaginta annos mortui, uita, honestissime  
acta, posteris prodatur, ex actis aedis Beyersdorffensis sum-  
pta. Inde, CIVES, exemplum diligentiae capite ac probi-  
tatis, ab hodierna leuitate longe remotae, ac pia uirum, de  
coetu diuino ac literato bene meritum, recordatione profe-  
quimini, ut alios ad consimile decus excitetis. hanc enim  
uiam proximam ad praedicationem perpetuam cernent, ubi  
copiae, parco uiuendi genere continentique cumulatas, do-  
ctorum hominum societati intulerint, haud intermoriturae,  
cuius lumen nisi accesserit, longe lateque sparsum, omnis auri  
splendor argenteique in tenebris iacet. Heredem fecit, tam  
muneris ac fortunarum, quam doctrinae ac uirtutis, Wey-  
ranchium Georgius pater, sacerdos primo Macherensis, ad  
Wurcenam, deinde Beyersdorffensis, Glebitiensis ac Koe-  
kerensis, pagorum inter se se coniunctorum, qui illum e Si-  
bylla, Albrechtii Eulenburgensis filia, genuerat CICLOXLIX.  
XIII. Kal. Octobr. in pago Beyersdorffensi. Hic nares  
corrugabunt uitarum scriptores, ac potius corruptores, ob-  
seuros homines commemorari, quos nosse orbis eruditii pa-  
rum interfit. Quasi plus interfit, greges ingeniorum lepidorum  
memoriae mandare, in puerilibus magis, quam seriis,

studiis occupatorum. Quod si difficilius habetur recte facere, ac bene dicere et scribere, cur eos contemnamus, qui, partim ipsi ciuitatem Dei meritis obstrinxerunt, partim procrearunt liberos bonae frugis, atque ad maiora praepararunt, praesertim cum in gentium tabulis ac familiarum nihil tam uile reperiatur, e quo non pendeant grauiora. Weyrauchii certe parentes, animaduersa pueruli docilitate, nihil praetermisserunt operae, qua mores ineuntis aetatis formati polirentur. Itaque fuit domesticae disciplinae traditus Hornii, Hamburgensis, Weberi, Landsbergensis, ac M. Stalitii, non tacendorum, quod uiro postea laudabili duces fidi ad omnem humanitatem extiterunt. Quorum industria tantopere profecit, ut in Gymnasium Halense translatus, iudicio Valentini Bergeri, rectoris genitorisque Bergeri nostratis, in numerum discipulorum ordinis secundi ascribatur, uix tredecim natus annos. Praeter caeteros autem Martinum Lippenium, regundi ludi socium, coluit, literis ab eo necessariis instructus. Comitem paterna adiunxit prudentia Ioannem Schwartzium, Doctorem post Theologiae, atque antistitem Querfurtensem, qui eum ad praeceptorum lectiones redderet paratiorem, hasce fine mora semel iterumque repeteret, caueretque, ne ab sodalitatibus prauis corrumperetur. Quam praeclare cum liberis ageretur, si fortunati parentes atque opulentri curam tam prouidam imitarentur. Sic aetas mollis ac lubrica firmiora iaceat fundamenta, nec, remoto custode, uitiis, tanquam ualitudine

letudine et contactu, inficeretur. Aliquot annos in hoc ludo  
exercitatum idem praefectus adolescentiae Vitembergam de-  
duxit, ubi quatuor annos ac dimidium magistros audiuit, in  
omni artium genere celeberrimos, ac saepius disputando, in  
medium prodiit, summos in Philosophia honores cum laude  
adeptus. Sed, ut praecepsis abundaret institutisque rerum  
diuinarum atque humanarum, Lipsiam se contulit, breuique  
Scherzeri, Theologi acutissimi, amicitiam sibi conciliauit,  
quo praeside, diatriben de disciplina ecclesiastica, et ritibus  
ecclesiasticis, defendit, collegio viri antisociniano insertam,  
Weyrauchiique nomine insignem (p. 1041). Etenim, quos  
aditus cohorti Sociniana ueterum interclusit circunspectio  
ac uigilantia, hos sponte atque ultro nouorum socordia ne-  
gligentiaque aperit, quibus nihil, nisi in Socinorum culina  
coctum, ac sesamo et papauere sparsum, sapit, cum tamen  
palato sano crambe, toties recocta, placere nullo modo pos-  
sit. Quamuis autem Lipsiensis academia illum bonarum ma-  
gis artium, quam loci, retineret amoenitate, de eius tamen  
complexu C1910CLXX repens Henrici Philippi Heerwal-  
di, antisitis Bitterfeldensis, discessus, Tubingam euocati, ab-  
straxit, ubi Wagneri, Kraftii, in primisque Io. Adami Os-  
andri senioris, scholas frequentauit, ab hoc enim singularem  
gratiam inierat, in eius conuictum receptus. Ac sedem re-  
rum suarum fortunarumque fixisset ibi, docendi partes ambi-  
turus, nisi post biennium morbus patris suspiciofus ac diutur-  
nus reuocasset. Is a Martisburgensi duce nullo impetravit  
negotio,

negotio, ut filius, cuius casti de rebus diuinis sensus atque eloquentia eluxerant, in locum suum sufficeretur. Ita, uix tres et uiginti natus annos, sacerdotium capessens, non uulgareni sibi commendationem ex administratione fideli comparuit. Proinde, ualetudine patria recuperata, Dorothea, e gente Schieckia, illi munus sacrum in Schwertensi pago Brandenburgico detulit, diu, quod parens eum successorem destinarat, recusatum, donec matrona generosissima precibus apud principem effecit, ut spartam utramque copularet, anno saeculi eiusdem LXXVII, annos decem cum dimidio obitam, sine ulla querimonia de laboribus, quod parens initio in societatem horum ueniebat, ac locorum propinquitas eos innabat, quamuis ternae essent orationes ad populum diebus folis habendae. Quanto pudore nauitas adeo strenua aetatis mollitiem nostrae suffundit, quae semel per hebdomada in concessionem prodit, uix ferendas molestias indignata in tricis enim nugisque uersatur, frigidasque sententias, aut mellitis uerborum globulis obruit, aut uano tumore inflat. Sapiens uetus prius, quam ad rem sacram accederet, copiam dicendi iudique conquisiuit, ab optimarum artium studiis suppeditatam, atque os disertum exercitatione firmauit, ut, si quid opus esset, ex tempore uerba faceret. Eadem constantia ac firmitate animi difficultates omnes Weyrauchius iunior superauit, patris decessu releuatas, quo mortuo, totum se curae grisis Beyersdorffensis dedit e compacto, ea que fuit sedulo functus usque eo, donec aetate iam graui confors

consors sacrorum procurandorum Godofredus Keilius iun-  
geretur. Ille tamen, consuetudine semper aliquid agendi,  
maximam functionis partem sibi seruauit. Tandem tumore  
pedum, ipsiusque senectutis debilitate, confessus, **xii. Kal.**  
**Ian. c*cc*ccc*xx*x.** diem obiit supremum, completis annis  
octoginta. Vitam tanta cum laude peregit hoc facilius, quod  
ineuntis aetatis pietate eam corroborarat, saepe gratissima  
professus mente, Deum sibi animum, sacerdote dignum, tri-  
buisse, atque a puerilibus libidinibus incorruptum. Hunc  
assidua recordatione illius a Dauide Ps. cxix dicti aluit, quo  
tandem pacto iuuenis sine labe uerfabitur. imperatis a te fa-  
ciundis. Sic animatus, auditores exemplo magis frugifero,  
quam uerbis, saepius inanibus, instituit, malos non imita-  
tus medicos, qui, dum sanant alias, se ipsi curare nequeunt.  
Imaginem praesertim boni doctoris, a Paullo Timotheo ac  
Tito descriptam, semper ante oculos habuit, ac turpe lucrum  
detestatus, facultates, a parente acceptas, suaque frugalitate  
auctas, id quod testamentum, praefecture Bitterfeldensi  
transditum, luculenter ostendit, in uiduarum, ab sacerdotibus  
illis in locis reliquarum, solatium, et reddituum facerdotii Beyers-  
dorfensis incrementa, uertit. Nos praecipue, ut uiri uene-  
randi tumulum floribus conspergamus, amor illius in literas  
commouet, quo ductus, **c*cc*ccc*xvii.* iv. Kal. Iul. ae-**  
**ratio Martisburgensi mille florenos Miñicos repreaesentauit,**

ea



ea lege, ut usurae annuae quinquagenorum ad inopem, bene moratum, ac sedulitate praeter caeteros commendatum, adolescentem perueniant, maxime disciplinae sanctioris alumnū, eumque Vitembergae iam biennium commoratum, cui, bene si se gesserit, beneficium uel in triennium prorogetur. Hic ipse tamen oratione anniuersaria, quid quantumque Deo debeamus pro restituta castiore doctrina, amplificare dicendo debet. Religiosius enim superiorum grauitas temporum opus, post hominum memoriam insigne, coluit, quod hodierna argutandi potius petulantia, quam sollertia argumentandi, sicut sacra omnia, contemptum ludificatur.

Cui uoluntati supremae morem merito gerit Clarissimus Doctissimusque M. Schubertus, assiduitate ac uirtute trium annorum fructum meritus, laudibus ornatus Lutherum, non melioris modo de numine sensus restitutorem, sed etiam liberalioris eruditionis, cuius commoda ad nostra quoque tempora redundant. Vos, CIVES, commilitoni mutuum prae-state amorem, et, quanti munera diuina faciatis, quanto in pretio habeatis literas, frequentia atque attentione declarate.  
P.P. Domin. XXI. post Trinit. CICICCLXXIX

---

VITEMBERGAE

PRELO CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

Ye 3447

ULB Halle  
003 033 120

3




56.

VDA7

03, 2001 6d,





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

46

47

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
**GEORGIVS RVDOLPHVS**  
**BOEHMER**  
PHIL. ET MED. DOCTOR ANAT. ET BOTAN.  
PROFESSOR PVBL. ORDINAR. PHYSIC. PROVINC.  
SOCIET. OECON. LIPS. SODALIS  
*ORATIONEM*  
AB  
**IOANNE GODOFREDO SCHVBERTO**  
AA. M. ET SS. LITT. CVTORE  
IPSO DIE MEMORIAE EMENDATORVM SACRORVM  
CICIDCCCLXXIX  
**BENEFICI WEYRAUCHIANI CAVSSA**  
IN AVDITORIO MAIORE  
PROCVRATIS SACRIS MATVTINIS  
HABENDAM  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
COMMENDAT